DOMINICA XL.

Ex Quæſt. 103.

DIE SABBATHI SOLENNITER Deus colendus.

TEXTUS Numer. 15, 32. ad 37. uſque.

Verſ. 32. Quum eſſent filii Iſraëlis in deſerto illo; invenerunt quendam colligentem ligna in die Sabbathi:

℣. 33. Quem adducentes ii qui invenerant illum colligentem ligna; ad Moſchen & ad Aharonem & ad totum cœtum,

℣. 34. Poſuerunt eum in cuſtodia; quia non fuerat declaratum quid faciendum eſſet eo.

℣. 35. Edixit autem Jehova Moſchi, omnino morte afficitor vir ille; obruito eum lapidibus totus cœtus extra caſtra.

℣. 36. Educentes itaque totus cœtus illum extra caſtra, obruerunt illum lapidibus ita ut moreretur; quemadmodum præceperat Jehova Moſchi.